

suerunt ergo confessionem distinctam peccatorum necessariam esse initiatis, imo censuerunt confessionem non esse partem necessariam Sacramenti baptismi, cum illud et infantibus conferrent. Ceterum Tertullianus De Poenitentia c. 9. satis distinguit inter poenitentiam antebaptismalem et poenitentiam secundam: ea nempe sola *conscientia praefertur*, h. e. interiore tantum conscientia peragitur; haec *aliquo etiam actu administratur*, qui actus *exomologesis* est. Ceterum confessio quaedam generalis quemadmodum et poenitentia quaedam ac detestatio peccatorum praemittebatur baptismi adultorum, de qua loquitur Nazianzenus (Orat. in Sanctum lavacrum).

Ad 3^m. dicimus quod poenitentia pro mortalibus peccatis post baptismum tum publica erat pro quibusdam gravioribus et publicis peccatis, tum privata pro ceteris iisdemque gravioribus, cum praetermittere licebat poenitentiam publicam. Confessio vero secreta praecedebat poenitentiam publicam, ut sacerdos iudicaret an crimen expiandum esset nec ne poenitentia publica. Id aperte colligitur ex Sozomeni loco in Th. praec. citato. Ita pariter Augustinus loco supra citato ex Serm. 351. docet primum tertiam esse poenitentiam, quae agenda est pro peccatis, quae legis decalogus continet; quae sunt profecto quaelibet mortalia. Tum subdit: « et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito a praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. *Ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem* ». Habes confessionem secretam omnium lethalium peccatorum (confer praecedentia verba huius loci superius recitata), habes poenitentiam publicam aliquorum peccatorum ex arbitrio antistitis pro utilitate publica ad removendum scandalum: ergo. Iam vero confessio sacramentalis omnium peccatorum spectat utique ad hanc tertiam poenitentiam, quae non est tantum publica, sed pro conditione peccati vel privata vel publica. Porro ex iis, quae Augustinus docet in serm. citato, explicare oportet quod dicit in sermone sequente, qui inscribitur quoque *de utilitate agenda poenitentiae*, supplendo nempe quod haec omisit Augustinus. Haec enim triplicem rursus distinguens poenitentiam, catechumenorum, fidelium quotidianam pro le-

vibus peccatis, quae dominica oratione expiantur, et tertiam, ita hanc describit: « Est poenitentiae tertium genus, unde aliquid breviter dicam (non omnia ergo ad eam pertinentia haec exspectes). Est poenitentia gravior et luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia poenitentes, remoti etiam a Sacramentis altaris participandis, ne accipiendo indigne, iudicium sibi manducent et bibant. Illa vero poenitentia luctuosa est, grave vulnus est: adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium, etc. » Quae verba non ita accipienda sunt ac si praeter eam poenitentiam publicam pro iis tribus sceleribus praecipuis, nulla alia sit poenitentia mortalibus peccatis. Sic et de Fide et operibus c. 19. potius e sententia aliorum quam sua (cum opus ei non esset pro re, quam agebat, de hac disputare, ut ipse testatur) refert quosdam opinari cetera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse et excommunicationibus punienda, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Verum illorum opinio non adversatur necessitati confessionis: nam non versabatur circa confessionem, sed circa eam, quam dicimus satisfactionem, quam aliam et aliam esse illi volebant pro diversis criminibus, insuper determinantes qualis sufficeret pro minoribus, qualis requiretetur pro maioribus: quod certe non excludit omnium peccatorum, quaecumque ea sint, confessionem. Est illa scilicet doctrina, quam audivimus a Paciano (Th. VIII. p. 92. 93.) Augustinus vero in l. c. prius ad verba Apostoli Gal. V. 19–21 se retulerat; et ibid. c. 26 distinguit tres species criminum: 1^o levia et quotidiana: 2^o quaedam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, allatis verbis Pauli 1^a Cor. V. 4: 3^o quaedam quae non indigeant ea poenitentia, qualis datur iis qui proprie poenitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis (ubi vides agi semper de ea, quae nunc dicitur satisfactio), quae est ipsa sententia expressa ser. 351. ac plena de hac re doctrina.

Ad 4^m tenendum est certam fuisse sententiam Augustino quod reus peccati lethalis accedere non debeat ad sacram communionem, nisi prius absolutionem acceperit. Recolantur quae citavimus ex Serm. 351: Ibi postquam dixerit tertiam esse actionem poenitentiae, quae pro illis peccatis subeunda est « quae legis decalogus continet », quae sunt proinde omnia mortalia, docens quomodo hanc exordiri oporteat « constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluit »; subdit: « Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione Corporis et Sanguinis Domini ut qui separari a regno caelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam discipli-

nam a Sacramento caelestis panis interim separetur ». Tum quibusdam interiectis resumit quae dixit: « iudicet ergo homo se ipsum in istis voluntate. . . et cum in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae, sententiam (abstinendo scilicet a Sacramento altaris), veniat da antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, etc ». Ergo antequam ad sacram mensam redeat, penes Sacerdotem sua peccata fateri debet, ut per claves Ecclesiae absolutio ei administretur. Sermo vero ille, ex quo locus obiectus producitur, non censetur esse Augustini; nec excluditur confessio, sed certus modus poenitentiae et satisfactionis ante Eucharistiae sumptionem praecipitur vel suadetur.

Ad 5^m demus id, quod asseritur, verum fuisse ab initio: sed aucto fidelium numero, unum Episcopum fuisse ministrum confessionis, non probatur. Fuerit ille quidem minister poenitentiae publicae; sed id non perinde est ac esse confessionis ministrum. Forte id moris obtinuit in aliqua Ecclesia; at morem fuisse communem probari nequit. Certe canon carthaginensis (cf. Codicem Canonum Ecclesiasticorum penes Ballerinius in Tomo III. operum S. Leonis pag. 97): « ut poenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur: et ut presbyteri inconsulto Episcopo non reconcilient poenitentes nisi absentia Episcopi et necessitate cogente » de poenitentia publica, « in qua proprie vocantur poenitentes » (Aug. l. c.) loquitur. Sane, ut audivimus a Socrate et Sozomeno, Presbyter Poenitentiarius additus Episcopo, praeerat poenitentiae publicae; unde ex eo colligi nequit antea presbyteros confessiones secretas eorum peccatorum, quae canonica et publica poenitentia non erant mulctanda, non excepisse. Et re quidem vera canon 44 alias 52 ex iis, qui vulgo dicuntur Canones Apostolici, habet: « Si quis Episcopus vel *Presbyter* a peccato revertentem non recipit, sed reiicit, deponatur. »

Ad 6^m negamus fuisse adeo in veteri Ecclesia frequentem communionis usum, ut nempe omnes fideles vel quotidie vel fere quotidie communicarent (si forte excipias prima tempora Apostolica, cum fideles pauci et ferventissimi erant, de quibus sermo est Act. II. 42, 46, ubi tamen Lucas loquitur de solis fidelibus illis primis Ierosolymae; et cuius ex verbis difficile extundas communionem quotidianam vel frequentissimam singulorum eorum fidelium), cum nec singulis diebus ad mysteriorum celebrationem collectae fierent. Imo advertere licet Paulum I. Cor. VII. 5. haec consulere fidelibus coniugatis: *nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Iam vero oratio

προσευχη, cui ut vacent coniugati, suadentur ab usu coniugii abstinere, non videtur esse quaecumque simplex oratio, sed certa quaedam, quae propter specialem sui dignitatem postulet etiam quamdam corporis quoque puritatem. Haec vero vel est communicatio Corporis Christi, vel ea oratio, qua ad eam fideles se disponebant. Certe ex his verbis Pauli Innocentius XI. Brevi dato 1679 Febr. 12 colligit argumentando quod admonendi sint coniugati vacandum esse continentiae ob reverentiam Sacratissimae Eucharistiae, quam suscipere velint. Licet ergo arbitrari id quoque iis verbis implicite saltem Paulum voluisse docere. Monet ergo Paulus coniugatos ut non se fraudent invicem, nisi cum orationi et communioni vacandum est. At priores fideles maxima ex parte coniugati erant, suadente id eodem Paulo ibid. v. 2; si ergo quotidie vel frequentissime communicassent fideles, iidem quotidie vel frequentissime e consilio Pauli abstinuissent ab usu coniugii, quod tamen idem Paulus nolebat frequenter fieri: ergo non erat tum adeo frequens communio singulorum. Augustinus autem (epist. 54. ad Ianuarium) quotidianam communionem inter ea recenset, quae per *loca terrarum regionesque variantur*: « alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini (non dicit quod fideles omnes alicuius Ecclesiae id faciant), alii certis diebus accipiunt ». Ceterum quid ex hac frequenti communione colligas? Erant ergo homines christiane viventes, qui absolutionis beneficio non egebant saltem frequenter, ita ut opus non foret multitudine sacerdotum. Verum etsi quidam dicant fuisse fideles pene omnes tum sanctos et innocentes, id gratis prorsus asseritur ab iis, qui in sola vetustate stupent, nihilque boni vident in Ecclesia praesenti nihilque mali in antiqua, ut corruptam et vitiatam deferant Ecclesiam hisce seculis; neque id cum instituta adeo rigorosa poenitentiae oeconomia cohaeret. At si antiquos Scriptores consulamus, constat eas ipsas Ecclesias, in quibus maxime disciplina poenitentiae vigeat, qualis fuit Africana, Hispana et Graeca, plurimos habuisse homines non dissimiles nostris, quod spectat ad mores. Ceterum veteres canones, qui communionem in missa omnibus praecipiant, spectant non ad omnes fideles, sed ad sacerdotes. Sane omnia decreta, quae afferri solent, referuntur simul a Buchardo Decret. L. III. cc. 77, 78, 79, inter quae extat illud Anacleti, diserteque cuncta loquuntur de sacerdotibus. Imo nullum exstitisse Canonem Ecclesiae praecipientem singulis vel quotidie vel saepius sumere communionem testatur in Brevi supra citato idem Innocentius XI. Neque si olim in quibusdam Ecclesiis, singulis quibusque dominicis diebus communicabatur, ideo putandum est omnes fideles iis diebus communicasse, satis est enim si dicamus clericos et aliquos laicos idem

tidem communicasse, ut etiam nunc fieri solet. Cf. Catechismum Romanum De Sacr. Euch. n. 61. qui illud probat quod nos defendimus. Neque frequentia haec fuit in Ecclesia Romana, quae non erat certe peior aliis, si verum est illud Fabiani Decretum sec. 3. praecipientis ut saltem in anno ter laici homines communicent (nisi forte quis maioribus criminibus impediatur) in Pascha videlicet et Pentecoste et Natali Domini.

Ad 7^m dicimus 1) argumentum esse negativum; 2) non eam esse unicam rationem cur de ea re Scriptores silere potuerint. Possidius diligentissimus vitae s. Augustini scriptor nunquam eum narrat celebrasse missam; in vitis quoque Sanctorum recentiorum rarissime occurrit mentio suscepti Sacramenti Confirmationis, quod tamen nemo dubitabit eos accepisse. Scilicet haec, quae communia sunt omnibus, narrari non solent praesertim a Scriptoribus qui brevitati student, nisi aliquid speciale praesetulerint; ut Paulinus facit in vita s. Ambrosii narrans quomodo exciperet confitentes. 3) Confessionis mentio fieri potuit ea loquendi adhibita ratione, quae olim id satis significaret, modo, immutato usu loquendi, obscura evaserit; ut cum mentio fit poenitentiae, viatici, et huiusmodi.

Ad 8^m respondemus Canonem hunc prorsus similem esse illi, quem Buchardus Decret. L. XIX. c. 145; et Ivo Decret. p. XV. c. 155 referunt ex Poenitentiali Theodori Episcopi Cantuariensis, qui floruit sec. VII. Canon ab iis relatus iis verbis « quidam Sacerdotibus confitenda peccata esse percensent: » addit « ut tota sancta Ecclesia ». Et dum in medio Canon Cabilonensis dicit « secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata, » Canon Theodori inquit: « Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra; » quibus verbis confessionis necessitas significatur. Ea vero et verbis Canonis Cabilonensis, etsi minus clare designatur. Quare distinctio duplicis modi confitendi spectat ad duplicem poenitentiam, tum perfectae contritionis, tum attritionis cum Sacramento, quâ utraq̄ue remissio obtinetur; et identidem cum altera fieri nequit, oportet agere priorem, quae praeterea rite consulitur semper. Ultima autem verba: confessionem Deo factam *purgare peccata*; factam vero Sacerdoti *docere qualiter* purgantur peccata, non oppositionem instituunt exclusivam, sed per excessum, nimirum confessionem etiam docere etc., idque eius proprium esse; cum prima confessio purgationem tantum praestet.

Perperam vero Buchardus et Ivo, sive Theodorus (in cuius tamen Poenitentiali hic canon modo non reperitur) prioribus verbis « quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt » addidere haec verba « ut Graeci; » quo nihil falsum magis. Forte ex quibusdam Chrysostomi verbi praepostere intellectis fluxit haec imaginatio.

IX. Ex Scripturis quoque arguunt. 1^o Apostoli nunquam hortantur fideles ad confessionem, quae facienda sit Sacerdotibus pro assequenda remissione peccatorum; id vero fecissent si ea foret necessaria. 2^o Paulus 1. Cor. XI. 28, ab iis, qui in peccato sunt, aliud non requirit ante ss. Comunione, quam ut se ipsos probent, non vero ut probentur ab aliis: ergo.

Ad 1.^m respondemus 1^o: transmissa maiore, distinguimus minorem h. e. id docuissent vel verbo vel scriptis, *conc.* scriptis, non solo verbo, *neg.* Respondemus 2^o: non hortantur in suis epistolis implicite quoties hortantur fideles ad poenitentiam, cuius peragendae modum ex revelatione isti didicerant. *neg.* non hortantur in suis epistolis explicite, *transeat.* Respondemus 3^o: nimis temere tradi tanquam certum quod nunquam occurat in epistolis Apostolorum exhortatio ad confessionem sacramentalem: probabile est enim non paucis huc spectare verba Iacobi V. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. Sane postquam de Sacramento extremae unctionis locutus est, subdit: confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate ὑπὲρ ἀλλήλων pro invicem ut salvemini, ὅπως ἰαθῆτε ut sanitatem consequamini. Nectuntur haec cum praecedentibus. Dixerat prius: oratio fidei salvabit infirmum; heic occasionem captat hortandi ut orent pro invicem, ut sanitatem consequantur. Item prius dixerat: et si in peccatis sit, remittentur ei, quibus verbis collatis cum aliis in eodem contextu innuitur remissionem peccatorum esse effectum, qui non primario ex Sacramento unctionis consequitur; hinc occasionem captat docendi modum, quo se fideles ad illud Sacramentum praeparare debeant, quo nempe consequantur remissionem peccatorum, confessione scilicet suorum peccatorum. Cuius mentio licet fiat occasione extremae unctionis, non tamen eius usus restringitur ad praeparationem immediatam pro eo Sacramento. Vox vero ἀλλήλοις alter ad alterum, ratione subiectae materiae, sensum illum reciprocum excludit, quo intelligatur omnem confitentem posse excipere confessionem alterius.

Ad 2.^m Verba Apostoli sunt: Probet (δοκιμαζέτω) seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini. Probatio ergo eo spectat ut non indignus quis ad sacram mensam accedat. Ea postulat ut quis primum consideret, sit necne reus peccati, quo indignus efficiatur, deinde medio idoneo utatur ad indignitatem exuendam. Hoc alterum indicatur ab Apostolo tum habita ratione finis, propter quem probationem praecipit, ne indigne scilicet Sacramentum accipiatur, tum etiam spectata vi verbi δοκιμαζεσθαι, quod et de probatione auri per ignem dicitur

(1.º Petr. I. 7.), qua probatione purgatur. Paulus quidem non diserte significat quo modo haec completa probatio sit perficienda; sed nec ullum certum modum excludit, neque Tridentina Synodus docet id ab Apostolo distincte significari, sed dicit quod ecclesiastica consuetudo declarat probationem pro communione requisitam, qua purgetur quis a peccato mortali, esse confessionem Sacramentalem. Id ergo satis est demonstrare, censuisse nempe Ecclesiam probationem, de qua loquitur Paulus, complecti usum illius medii, quod situm est in reali susceptione Sacramenti poenitentiae sive in Sacramentali confessione. Sane Cyprianus in Lib. de Lapsis postquam retulit exempla divinae ultionis in eos, qui gravi culpa obligati ad ss. communionem accedebant, concludit: «quam multi (ex iis qui sacrilege accedebant) quotidie poenitentiam non agentes, *nec delicti sui conscientiam confitentes*, immundis spiritibus adimplentur!» in eosque exardescit qui «spreta Apostoli sententia: quicumque ederit etc., ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Dei et minantis» vim inferunt corpori eius et sanguini. Loquitur quidem in hoc libro, de iis lapsis, quibus poenitentia publica debebatur; at exinde tamen illud saltem colligitur Ecclesiam eam probationem ab his peccatoribus postulasse quae sita esset in poenitentia Sacramentali. Id autem valuisse quoque pro quovis peccato lethali docemur ab Augustino, cuius hanc esse certam sententiam ostendimus in parte praeced. ad 4^m. Opponi posset quod habet in epist. 54^a. ad Ianuarium c. 3. «Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam: quaesieris quare. Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat; qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Alius contra: imo, inquit, si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam poenitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat quo debet agere poenitentiam; non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Ceterum peccata si tanta (tam gravia) non sunt ut excommunicandus quisque iudicetur, non se debet a quotidiana medicina Domini corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem qui monet ut praecipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus et Sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt». Adverte sententias duas, quas opponit Augustinus has esse, alteram:

non quotidie communicandum, quia purius homo continentiusque solito vivere debet ut dignus accedat: alteram: si peccata tam gravia non sunt ut excommunicandus quisque iudicetur (in sermone Augustini excommunicatio est frequenter remotio a communione altaris), quotidie communicandum est. Porro in utraque sententia supponitur immunitas a peccato mortali; idcirco non erat locus Augustino in suo consilio commemorandae confessioni.

Pacianus in Paraenisi ad Poenit. n. 7. propositis verbis Apostoli ex 1. Cor. XI concludit «intellige quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus». Tum n. seq. «quod si vestra vobis vilis est anima, pareite populo (ne scilicet tristis fiat propter poenas, quas Deus indigne communicantibus infligit), pareite sacerdotibus... quid facies tu qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem *probandi difficultate* confundis? Rogo ergo vos fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam». Ex quibus liquet *probationem* ministerio Sacerdotum fieri, atque faciendam esse ut quis digne ad communionem accedat. Nota hic agi de criminibus occultis.

Gennadius De Ecclesiasticis Dogmatibus c. 23. «Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica poenitentia satisfacere, et ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere».

Leo M. ep. 108. ad Theodorum Foroiuliensem episc. «Mediator Dei et hominum homo C. I. hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent».

Anastasius Sinaita in Oratione de s. Synaxi: «Confitere Deo per Sacerdotes peccata tua. Condemna actiones tuas et ne erubescas. Est enim pudor qui adducit peccatum et est pudor qui gratiam et gloriam parit. Condemna te in conspectu hominum... pete veniam... ut digne ad tanta mysteria accedas, ut pura conscientia Corpus et Sanguinem participes... Audi divinum Paulum dicentem: Probet autem se ipsum homo etc.».

Auctor Serm. 255 in Appendice ad Sermones Augustini: «Si quis ex vobis conscius criminum suorum, indignum se communionem ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis: quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo, nisi ut errores pristinos relinquat et *poenitentiam petat*, ut qui criminum suorum sorde pollutus est, *exomologesis satisfactione mundetur*».

Halitgarius in praefatione ad libros de poenitentia. « Cum tanta est plaga peccati, ut medicamenta Corporis et Sanguinis Domini sint differenda, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario remove ad agendam poenitentiam, et eadem auctoritate reconciliari (cf. epist. Aug. supra citatam) ». Porro his testimoniis satis probata est consuetudo Ecclesiae antiquae asserta a Tridentino, ante cuius declarationem Caietanus in 3^a. p. q. LXXX. a. 4. oppositam sententiam ex eodem loco Apostoli perperam visus est sibi collegisse.

THESIS XXXV.

Confessio Sacramentalis per se tum publica tum secreta esse potest. A veritate vero aberrant ii, qui contendunt Ecclesiam olim aut praecepisse publicam confessionem criminum occultorum, aut pro quovis peccato mortali publicam poenitentiam imposuisse: imo e contrario traditione catholica docemur ius fidelibus factum a Christo secreto confitendi peccata sua ita ut obligatio sigilli sit de iure divino.

I. Dicimus confessionem sacramentalem *per se* posse alterutro modo fieri: h. e. etsi possit esse, quod nunc non quaerimus, illicitus iste modus, id tamen non impedire quominus essentia confessionis sacramentalis incolumis maneat. Id liquet 1) ex rei natura. Ex Christi enim institutione habemus necessariam esse eam confessionem, quae sit manifestatio peccatorum facta iudici pro obtinenda sententia absolutionis: atqui haec talis manet sive fiat secreto uni, remotis arbitris, unde et auricularis dicitur, sive publica fiat coram aliis seu paucis seu multis: ergo. Liqueat 2) ex praxi Ecclesiae, quae in certis adiunctis confessionem publicam probavit, cum disciplina sollemnis Poenitentiae vigeret, quae confessio identidem saltem Sacramentalis erat; cum nempe fiebat iudici Sacerdoti pro obtinenda remissione coram Deo; eamque etiamnum probat, si quis « in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ad aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri » velit (Sess. XIV, cp. 5); eademque usa est et modo utitur confessione secreta. Quare secretam esse vel publicam, id *per accidens* se habet ad essentiam confessionis sacramentalis. Dicimus *ad essentiam* h. e. ratione habita eius, quod *essentialiter* postulatur ut sit confessio: quamvis ratione habita totius institutionis, aliarumque legum, quibus tum poenitens, tum Sacerdos subsunt; confessio secreta

congruat magis specialisque ratio esse debeat, ut licite adhibeatur confessio publica: prout ex sequentibus patebit.

II. Secretam confessionem cum dicimus, eam intelligimus, quae non solum fit secreto, sed quae *ita fit secreto, ut maneat secreta*, ut nempe non teneatur poenitens et non possit Sacerdos peccata manifestare. Hic est conceptus confessionis secretae. Haec quaestio occurrit historica simul et dogmatica. Sunt enim quidam, qui censent Ecclesiam primis seculis (saltem usque ad V.) praecepisse confessionem publicam graviorum quoque criminum occultorum (Ruardus Tapperus ad art. 5. Lutheri. Lindanus Panoptiae Lib. IV. c. 69. Alanus Copus Dialogo II. c. 27. Pamelius in adnotat, ad s. Cyprianum de Lapsis), vel saltem publicam poenitentiam pro gravioribus criminibus licet occultis (usque ad sec. VII.) imposuisse (Natalis Alexander H. E. sec. III. Diss. 6., Iuveninus Comm. hist. dogm. De SS. Tom. II. Diss. 6. q. 6. c. 7., Morinus Lib. V. c. 8. seqq.). Quae cum aliis doctissimis theologis videantur cum lege sacramentalis sigilli, quam tamen et illi theologi agnoscunt, haud facile componi posse, quaestio sponte oritur de hac ipsa lege, an vere ipsa statuta sit. Profecto si vera esset sententia Theologorum, quos citavimus, praesertim priorum, dicendum foret aliam olim Ecclesiae insedis opinionem de natura sacramentalis sigilli, quam sit ea, quae a non paucis seculis certe in Ecclesia universa viget. Lex sigilli, qualis nunc concipitur, non postulat quidem ut poenitens, si velit, nequeat confessionem sacramentalem publicam facere, sed postulat ut is non teneatur confessionem sacramentalem publicam facere, nec possit sacerdos, quod secreto audivit, ulla unquam ratione revelare, idque creditur valere non tantum vi iuris naturalis praecipientis custodiam secreti, sed iure quoque divino seu Christi hoc ius concedentis poenitenti et hanc obligationem imponentis sacerdoti. Diximus non teneri poenitentem ad confessionem *sacramentalem* publicam, quin distingueremus inter crimina occulta et publica. Ratio huius distinctionis omissae est, quia quamvis qui publice peccavit teneatur publicam quamdam sui peccati expiationem facere; attamen 1^o ad id non tenetur lege Sacramenti Poenitentiae, sed ea lege, qua obligatur ad reparationem scandali, quaque obligaretur, etsi sacramentum Poenit. non fuisset institutum: 2^o neque necesse est ut hic actus publicae expiationis sit confessio sacramentalis, sed petita publica venia sui peccati sive verbis sive scriptis (quae etiam post mortem tantum manifestanda identidem sufficiant), potest vel antea vel postea confessionem sacramentalem facere. Ita lex sigilli a Theologis concipitur. Quaeritur an aliquid occurrat in Catholica Traditione quod eidem adversetur. Cum censeamus obligationem publicae confessio-